

No. 372. 1464. 25. Mai.

*P. Pius II. verleiht dem Cleriker Nicolaus Muffel die durch Erhebung des Dietrich von Bocksdorf auf den Naumburger Bischofstuhl vacant gewordene Mariencapelle auf dem Rathhaus zu Leipzig.*

Pius episcopus servus servorum dei dilecto filio Nicolao Muffeln clerico Bambergensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Vitae ac morum honestas, alia quoque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque capella beatae Mariae virginis in praetorio oppidi Lipczk Merseburgensis diocesis, quae de iure patronatus laicorum existit et quam dilectus filius Theodericus de Bocksdorff clericus Numburgensis tempore promotionis per nos factae de eo ad ecclesiam Numburgensem tunc pastore carentem obtinebat prout obtinet per promotionem huiusmodi et munus consecrationis eidem electo impendendum, vacare speraretur, nos iuri patronatus huiusmodi hac vice duntaxat derogantes volentes tibi praemissorum tuorum meritorum intuitu gratiam facere specialem motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate capellam praedictam, quae sine cura est et cuius fructus redditus et proventus quatuor marcarum argenti secundum communem aestimationem valorem annum accepimus non excedunt, cum illam ut praemittitur aut per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus difiniti seu alias quovismodo praeterquam per ipsius electi obitum vacare contigerit, conferendam et cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donatione apostolica reservamus, districtius inhibentes venerabili nostro episcopo Mersburgensi ac illi vel illis ad quem vel ad quos ipsius capellae collatio provisio praesentatio seu quaevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illa contra reservationem huiusmodi disponere quoquo modo praesumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari; non obstante, si aliquis super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolicae sedis vel legatorum eius litteras impetrarit, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus te in assecutione dictae capellae volumus anteferri, sed nullo per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum volumus praepiudicium generari, seu si praefato episcopo Mersburgensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem praesentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel tota-